90 441

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

die Iouis 12. Martij.

M. FLORIMVNDO LANGLOIS DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Est-ne vnquam salubris ebrietas?

I.

QVANTVM ab optimo corporis statu recessit, qui ebrius est homo; tantùm à ratione videretur alienus, qui ebrietatem, breuis temporis insaniam, vellet inter res homini salubres numerare. Hæ ita sunt à naturâ, vel ab arte comparatæ, vt earum moderato, ac legitimo vsu, bona corporis valetudo sustentetur, amissa valeat recuperari. Nec aliâ de causâ salubritatis laudem meretur, quæ ad incolumitatem nostram procreata est rerum non naturalium familia: tantave auxiliorum seges, quæ rationis & experientiæ ductu à Medicis inuenta, ægrotantium saluti succurrit. Scilicet temperatus rerum non naturalium modus, quam potest, homini pollicetur immortalitatem, qui animo quieto naturæ, non voluptatis appetitionem satiaret: at saltem firmissimum sanitatis robur conciliat ad omnes tum corporis, tum animi functiones alacriter obeundas, quò tota integræ sanitatis ratio spectat. Verùm diuinæ artis præsidia nihil non salutariter præstant, vt longiùs arceatur fatale quoddam exitium, quoties impuri humoris colluuies in visceribus turbas facit: aut in spiritibus accensis, & flammato sanguine ardet morbi seditio, vnde tota corporis œconomia conturbaretur, cor validissimum vitæ propugnaculum, atque ipsa arx sapientiæ cerebrum conflagrarent. Tunc enim vtrobique salubrem experitur homo alimentorum, & medicamentorum opem: seu laudabilis gignendus sit, & pro vitioso reponendus alendo corpori melior sanguis: seu seditiosi humores frænandi, sedandi, ejiciendi: vt cum luculentâ quâdam corporis temperatione in gratiam redeat præclarus mentis decor, quo cæteros animantes vincit, qui vnus ab ebrietate turpiter vinci solet.

442

II.

HOMINI salubris est aër, qui tenuitate, & calore temperatus, non modò salutarem spiritum, & humores nitidos præbet, sed languidum in corde caloris natiui focum veluti flabello ventilat, & accendit. Hujus longè major est ad viuendum necessitas, quàm aut exercitationis, & somni corpore roborandô; aut immutandô vigiliarum, & animi pathematum salubritas: quæ nunquam tanti æstimatur, quanti alimentorum. Quò enim diutius morantur in corpore, eò major est eorum vis ad valetudinis curam. Quamobrem cibus qui ventriculi calore conficiendus excipitur, si facilis fuerit coctionis: si (veluti panis triticeus, recentia oua, capi aut vituli caro) multum, optimumque suppeditat succum: is procul dubio, nisi aliunde peccetur, vitalis liquoris temperiem induet, ac naturam: vnde nullâ excrementorum sarcinâ retardatus, quoquouersum deferat potissimum inculpatæ valetudinis pignus. Tandiu retineri poterit, quandiu vel saluti inimica intemperantia, vel deterioris conditionis alimenta nondum eam alliuerint sordium copiam, ex quâ ægrotandi toties, ac denique moriendi necessitas. Atque ideo potuum omnium saluberrimus aquæ liquor, quia tardum dictu, vtrum secundæ valetudini magis prosit, vtrum magis medeatur aduersæ. Sed vini, vt linguæ, vsus est plerumque noxius. Hoc pueris interdicitur & mulieribus, quas silentium & castitatis amor commendat, nec non prudenti cuiuis rerum vrbiumque Moderatori, seu is summum authoritatis, seu ætatis apicem fuerit assecutus. Malè igitur senes vini potu tanquam lacte alis, bene venerem, cui tamen nocet ebrietas, ne scilicet quemadmodum arthriticus arthriticum, sic ebrius sibi simile monstrum procrearet. Quæ sterilitas vberrimâ malorum fœcunditate cumulatur. Absint à Baccho Nymphæ, quod bibis ignis erit, qui viscera exurens, tot morborum semina suscitabit, quot euellere vix poterunt saluberrima artis præsidia, venæ sectio & purgatio.

III.

CLAVSAM pudori, & sanctimoniæ domum habere videntur, quanquam religiosis viuerent moribus, qui saluâ pietatis, nedum sanitatis curâ, hominem ad sapientiam natum ebrietatis insaniæ addicunt, mortis fugiendæ causâ. Vel expediant morum Magistri, vtrum suo salubrius est quàm hostili confici gladio? Nec à virtutis semitâ aberrabit, qui temulentiæ se tradet? qua fit, vt vita somnium sit ebrio, somnus verò ipsa mors. Adeo infensum est, atque diuinæ menti inimicum ebrietatis flagitium. Ab hâc multùm discrepat jucunda quædam inter bibendum remissio, quâ diluitur quidquid in homine vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis verecundiæ fuerit. At si quis in potum ita se immersit, vt id sequatur omnium ferè corporis, tum maximè principum animi functionum injuria, ebrietas est, in Ilota semper, nedum in ingenuo viro pudenda. Seu ex vino, seu ex pomaceo, seu denique ex cereuisiâ oriatur; alia ab aliâ vaporis modo, motu, & diuturnitate differet, vix eâ, quæ compotori inferetur, noxâ. Quanquam vinum nonnullâ salubritatis laruâ ad cujusque mores se accommodat, mansueto quidem, joci; tristi ac seuero, terroris; desidioso, veterni; iracundo,

furoris poculum miniſtrat: omnibus tamen velis fugiendum, ne naufragam corporis nauim fracto mentis clauo, longè à ſalutis portu inter morborum ſcopulos demergat in mortis profundum. Splendeſcat velim, blandiatur, dum viſceribus extra modum inſtillatur innocens huc vſque liquor, qui indignans, ſi quem coctioni morem gerit, magis ac magis efferueſcet in ventriculo; vnde vix comminutas epulas, quâ vomitu, quâ dejectione cum viſcerum cruore diſturbat: nec ſecus ac coluber, per flexuoſas alui & venarum vias ſerpit ad rationis ſedem. Edentulum hauſeras, & ecce interanea obiter tam maligno dente mordet, quàm acri pungit aculeo: ſingulíſque ferè partibus, tum præcipuè cerebro aſpergens ebrietatis venenum, de optimâ corporis, & animi conſtitutione diuinum animal dejicit infra pecudum ſortem.

I V.

SÆPE conuiuium ebrietatis eſt theatrum, in quo plures excitantur tragœdiæ. Perſonas quæris? Voluptas, temulentia, animi & corporis firma valetudo, compotores. Argumentum? Pugnat ebrietas aduersùs ſanitatis & judicij vires. Actionis tempus? Vix Solem orientem videt, vel occidentem. Scenam? Inter fercula & lagenas. Hanc aperit valetudo à nonnullo ebrietatis contemptu, quæ injuriam ſtomachatur, & vltionem parat, ſubornatâ valetudinis olim pediſequâ voluptate. Hæc nempe ſibi parum eſſe arbitrata quod ſaluti ſufficeret, auidæ ebrietati jungit ſe ſociam, & valetudinis inimicam. Ambæ communi fœdere auxiliares implorant compotorum manus, quorum artibus & poculis adjuta ebrietas de firmiſſimo corporis & animi ſtatu triumphat, Agonothetâ, furore; propoſito victoriæ præmio, culpâ ebriorum lachrymis inexpiabili. Quid rides? Mutato nomine de te fabula narratur. Qui bene natus cibo vtitur, & potu ne noceat, is fruitur functionum omnium integritate. Virginalis eſt, vel minimâ intemperiei labe contaminatur, nedum exitiali temulentiæ vitio, quæ per ſe acutiſſimus eſt morbus, & morborum iliadem parit, dum velut ſulphuri ignem, tot ferculis vinum addit exterum & longinquum; cùm multo ſalubrius eſſet nullum bibere, vel patrium. Scilicet ſuadente vini fallaciâ, crudus quiſque ſe rurſus ingurgitat, eâque obruit vini copiâ, quæ cibos alioqui ſuauiſſimos, & ad concoquendum facillimos in ventriculo corrumpit, & igneis propemodum viribus adurit. Id vitij, vt tacere vellet garrula in vino veritas, probaret ſaltem ructuum oriſque fœtor, nox inſomnis, perturbatiora ſomnia, ſitis ex viſcerum ardore inexplebilis, cui aqua, non minùs quàm ebrietati ſalutaris ſit medicina. Hoc vtinam potu extingueretur, ne altiùs ſerperet, vini flamma! Sed cui parcet quæ ſuo authori non pepercit? Vna cum hepatis, cordis, & cerebri virtute, caloris natiui fundum populatur, inflammat, ſanguinem torret, humores liquefacit; vnde homo malorum imbre aſperſus, titubat, balbutit, pallet, in ipſo juuentutis flore tremit, areſcit, inſanit, ſæpe fortunatior inter tot ærumnarum miſerias, ſi peſtiferâ quâdam vini qualitate perculſus, non vitam, ſed ebrietatem cum morte commutaret.

444

V.

MVLTVM igitur recta deprauant ingenia, dum recta corrigere videntur, qui gratis docent saluti ebrietate consulendum; quasi verò nec hominis articulos arthritide contunderet, nec eum torqueret diris vesicæ & viscerum morbis. Nouerint potiùs qui mutatâ litterulâ gratis nocent, & de sapientiâ humanâ ludunt impune, tam anceps quartanâ curandâ, & periculosum esse ebrietatis remedium; quam rumpendâ Iasonis vomicâ, diuinæ licet fortunæ vulnus. Longè sapientiùs Asclepiadarum gens sanitatem temperantiâ tuetur, & restituit. Edendi scilicet bibendique desiderium eâ leuat cibi, potusque medicinâ, quâ tantum adjicitur corpori, quantum in dies singulos ab eo effluxit. Id lance ne ponderes velim, sed aliquo satietatis modo, ultra quem à gulâ metues exitium. Mentem referas è conuiuio bonarum cogitationum epulis saturatam, nunquam vini onere grauem. Vides enim, vt qui vini plenus est, quemadmodum mare, momento vertitur: nec illi vox vna, nec faciei color vnus. Anhelat ad dolium, nec hunc pedes, nec gradiendi membra sustinent. Diceres Copernici auditorem, cui moueri terra, stare Sol, & geminus videtur. Adeo vanæ imagines vinosos turbant, qui trepidantis corporis vmbram extimescunt: sibi tamen belli videntur, audaces, Imperatores; hoc turpiore artis Medicæ fato, vt id habeat cum ebrietate commune, quod Imperatoribus imperat. Quid ita? Nempe sicca esse debet, ne consilio & ratione deficiatur anima. At vini vapore madet, quo spiritus sensuum intellectionisque ministri concrescunt, obscuri, impuri, desultorij: nec modo liberum sapientiæ iter rerum speciebus præcludunt, vnde minuitur, & obstupefit tota animi vis: verùm etiam quæ adeo munda esse debet sensuum officina, tot aspirantium ad caput humorum excrementis inquinatur, quibus tanquam visco adhærescit sentiendi ac mouendi facultas; atque vt ignis minor à majore, sic moderatus corporis calor ab immodico vini ardore ita extinguitur, vt quem modò inuitabas ad bibendum, is penè morbo confectus vinoque sepultus ad tumulum efferatur.

Nunquam igitur salubris ebrietas.

Asserebat Lutetiæ CAROLVS LE LONG, Pruuinæus, A. R. S. H. M. DC. LXV.